

caol H 2 / 0

108

# CONCLVSIONES

EX VNIVERSA


phylosophia.

Quaestio disputanda.

*Virum intellectus noster etiam inter dormiendum semper operetur?*

PRÆERIT P. GEORGIUS CABRAL,  
E Societate IESV.

Tuebitur Melchior de Sequeira integro die Martis 27. Mart.



CONIMBRICÆ.

*Ex Officina Didaci Gomez Loureyro Academia  
Architypographi.*

Cum facultate Inquisitorum, & Ordinarij, Anno 1607

E X L O G I C A .

P R I M A C O N C L V S I O



Rationem vniuersalitatē nō nisi intellectus beneficio naturæ cōmunes for-  
 tiuntur: earum distinctio ab inferioribus rationis est, hoc tamen nō tollit,  
 quominus ex naturæ, quarū indiuidua sūt vera entia, reales entitates exi-  
 stimentur: ad earū ab indiuiduis abstractionē, tum agētis intellectus, tum  
 phantasiæ concursus actiuus prærequiritur. Species materialis naturā vni-  
 uersalem repræsentans prorsus repugnat: Vniuersalitas in conceptu com-  
 paratio exitit, per actum prædicandi nō amittitur. Differentiæ Metaphysicæ nec genus,  
 nec species esse possunt: Accidens tamen generale, & proprium rationem infimæ species  
 sortiri valet.

C O N C L V S I O II.

Pædicamentum numero denario continentur: inter aliqua realem, inter alia modalem,  
 inter nonnulla solam virtualem agnoscimus distinctionem: nullum tamen eorum ad-  
 mittit ens, in quo deficiat aliqua ex vulgatis cōditionibus. Substantia prædicamentalis in pri-  
 mam, & secundam analogicè distribuitur: cui libet, siue completa, siue incompleta sit, re-  
 pugnat inherere; creata omnis suppositum est, secus dicendum, si absoluta Dei terminetur  
 subsistentia. Non solum permanentis sub quantitate genere summo collocantur, sed etiam  
 successiuæ; quantitatis essentia in extensione per ordinē ad totū sita est: num vero aprius  
 explicetur per aptitudinē ad replendū locū, an per diuisibilitatē physicā problema sit. Per-  
 manentis indiuisibilia distinguuntur realiter à partibus, in successiuis probabilis modaliter  
 tantum ab altera; in vtraque tot sunt partes incertæ in maiori, quot sunt in minori.

E X P H Y S I C I S .

C O N C L V S I O III.

Causæ materialis, erga formam, causalitatem in vnione realiter idētificata cum for-  
 ma collocamus. Materia tantū abest, quod sit actus, vt nec diuinitus illi aliquid actiui-  
 tatis attribuamus: Vnde cōstat essentialiter esse potētiam, illiusq; essētiam positā esse in eo, quod  
 sit quædā fundamentalis fortitudo ad formam substantialem; substantia simplex censetur;  
 nullius formæ corporeitatis capax, totius generabilitatis incapax: à solo Deo producta.  
 Vnaqueque causa suam peculiarem vendicat causalitatem, & ab illa cuiusque distinctio  
 dignoscitur. Efficiētis causalitas in actione cōsistit, quæ à principio, vnde oritur, realiter dif-  
 fert, & cum termino, ad quem tendit, identificatur. Omne compositum physicum, cuius  
 materia separabiliter informatur, esse corruptibile nullus inficiabitur: suapte natura vēdi-  
 cat generari, diuina tamen virtute creari non repugnat.

E X M E T A P H Y S I C A .

C O N C L V S I O IIII.

Libertatis ratio potentiam actiuam requirit: in intellectu radicaliter, in voluntate for-  
 maliter reperitur; ab appetitu sensitivo omnino exulat; actus liber à potentia nō ori-  
 tur nisi formaliter libera: vt in obiectum feratur, cognitio intellectus vt conditio obiecti-  
 ua prærequiritur, aliquando tamen apprehensiuā sufficit: in ignotum, & in impossibile, qua-  
 tale ferri nequit; è duobus bonis æqualibus vnū respicere, alterū amplecti potest, imò ex in-  
 æqualibus minus bonū eligere valet. Voluntas à se ipsa quoad exercitiū, à diuina volunta-  
 te quoad indiuiduationem actus (salua libertate) determinatur: quoad actus ab ipsa elicitos  
 cogi nequit; aliter de imperatis sentiendum; quanuis in eo instanti, in quo elicit autē, nec  
 diuinitus ipsius actus negationē simul obtinere queat, libera tamen in eodem perit.

102

CONCLUSIO V.

**P**otētia naturalis pure passiva nulla datur in qualitatibus: in his fit intētio per additio-  
nem gradus ad gradum, quæ non in omnibus qualitatibus, sed in illis tantum,  
quæ ad primam, ac tertiam speciem pertinent, reperitur; partes intensiue cuiusq; qualitatis  
specie non differunt. Habitus per actus & obiecta discriminantur: potentia solum imma-  
nēs, & aliquo modo indifferens eorum capax censetur, à quolibet actu proportionato etiã  
remisso effectiue producuntur; per actus æquales aut minus intensos augeri nequeunt: ab  
actibus contrarijs effectiue, ab habitibus formaliter minuuntur.

EX LIBRIS DE CÆLO.  
CONCLUSIO VI.

**M**undus à Deo miro conditus artificio non omnimodã perfectionem, sed solũ eam,  
quam pro statu suo exigit, adeptus est; alios atq; alios in infinitum perfectiores cõ-  
di posse nemo ambigit: hunc tamen essentialiter perfectiorem fieri prorsus implicat, acci-  
dentaliter vero non repugnat; aggregatum, quod consideratur ex Deo, & creaturis, ex-  
tensiue tantum ipso Deo perfectius censi potest. Diuisio motus in rectam, circularem, &  
ex utroq; mixtum recte tradita est: simplicitatem tamen illius ex triplici capite, scilicet termino,  
potentia motiua, & magnitudine sumi necesse est.

EX METEORIS.

CONCLUSIO VII.

**M**eteorologicarum impressionum materia duplex censetur: vtraq; in proximam, &  
remotam distribuitur, remota sunt aqua, & terra, proxima vapor, & exhalatio: hæ ab  
illis essentialiter nõ differunt; vapor est spiratio calida, & humida; exhalatio autē est terræ  
habitus calidus, & ficcus, aduentitia leuitate in aera feruntur, ibique varia exhibent me-  
teora: principalis eorum causa efficiens est cœlum, ipsiusque astra, instrumentalis vero po-  
tissima est calor, sex genera impressionũ in aere fiunt ex vapore, Vortex, s. Hiatus, Area,  
seu Corona, Virgæ, Parelia, & Iris: hæc vltima est arcus multicolor in nube rorida, opaca, &  
concaua ex radiorum Solis oppositi reflectione apparens oculis spectantium.

EX LIBRIS DE ORTV, ET INTERITV.  
CONCLUSIO VIII.

**G**eneratio substantialis est actio momentanea, quã dispositiones præuix attingunt. For-  
ma saltē vt stat sub vnione substantiali est terminus intrinsecus generationis, quãuis  
etiã probabile sit materiã, quatenus stat sub partiali vnione esse etiã terminum ipsius  
intrinsecum partialē: in humana vero esse totalem: vltimatus ac principalis est totum cõ-  
positum. Humanæ generationes supra naturæ vim editæ sunt propriæ generationes, eius-  
demque speciei cum reliquis præcisã qualibet denominatione extrinseca. Corruptio est re-  
bus naturalis, licet per se non intendatur à natura. Resolutionem dari vsq; ad materiã pri-  
mam in cuiusq; entis physici generatione probabilis tuctur opinio: opposita tamen longe  
probabilior.

EX LIBRIS DE ANIMA, ET ETHICIS.  
CONCLUSIO IX.

**N**oster intellectus dũ anima est corpori coniuncta, non nisi dependenter à phantasma-  
tis (si Ecstasim excipias) intelligit. Num vero semper etiã inter dormiendum opere-  
tur problema sit. Rationalis anima nõ supernaturali tantum lumine spiritualis creditur, &  
immortalis, sed etiã hoc idem ratione naturali demonstratur, quod tñ veram esse hominis  
formam non tollit: per creationē à solo Deo esse sortitur; vnde extra materiã per se cohæ-  
rere valet, imò quandiu est in corpore, ab ipso omnino independens censetur, proindeq;  
è materia separari prorsus implicat. Naturalis hominis felicitas in animi operatione  
ita est, diuiditurque in practicam, & speculatiuam.

*Questionem dirimit nona Conclusio.*

